

media, producens ipsam hominis conuersionem, seu directionem pedum eius in viam pacis.

Certissimum est, quod Deus stilo scripturae, per illuminationem &c.) Quod Deus, stilo scripturae per illuminationem ipsam hominis conuersionem operari intendat, lubens itidem fateor. Sed hoc ad illuminationem istam actiuam iterum pertinet, de qua nullam inter nos esse controuersiam, ipsemet auctor generosus summeque reuerendus diserte pronuntiauerat. In memoriam itaque sibi reuocet, quod antea scripsit: *Ab utraque parte conceditur, quod Deus omnis gratiosae illuminationis auctor, omnes homines per verbum suum illuminare velit, iuxta Ioan. I. 9. &c.* Deinceps etiam ipsemet statum controuersiae ita format, ut profiteatur, de illuminatione, passiuè accepta, inter nos disceptari. Ex loco itaque *Lue. I. 78. 79.* cum nihil aliud sequatur, nec ipsemet auctor aliud quid inde colligat, quam, *quod illuminatio (actiua, quod res ipsa docet) sit caussa quaedam media, producens ipsam hominis conuersionem; eum meae sententiae opponi non posse, longe est manifestissimum.* Si enim illuminatio conuersionem producit, effectus eius tum demum se exserit, cum homo conuertitur.

Iungam huic loco alium satis insignem, ex *act. XXVI. 16. 17. 18.* Ubi legimus: Iesum Nazarenum Saulum allocutum fuisse his verbis: *In hoc visus sum tibi, ut constituam te ministrum & testem eorum, quae vidisti, & de quibus videbor tibi; erepturus te e populo & gentibus, in quas nunc te mitto, ad aperiendum oculos eorum, ut conuertant se a tenebris in lucem, & e potestate satanae ad Deum.* Quaeso te, quisquis haec legis: quid est h. l. *aperire oculos*, nisi *illuminare homines*, in tenebris seu in potestate diaboli sedentes? Cur autem oculi ita sunt aperiendi seu illuminandi? Finis est, ut homines se conuertant. E. Illuminatio est caussa media, & conuersio est effectus.

Iungam huic loco alium, satis insignem &c.) Non magis hicce locus, *act. XXVI. 16.* caussae auctoris patrociniatur, quam
 B prior.